



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 10. An qui ob probabile dubium baptismi? ordinem Sacerdotalem
sub conditione iterum recipit, poſſit eodem die omnes ordines, omissis
etiam solemnitatibus suscipere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

QVÆSTIO X.

An qui, ob probabile dubium baptismi, ordinem Sacerdotalem iterum sub conditione recipit, possit eodem die omnes ordines, omisis etiam solemnitatibus, suscipere?

1. **A**d hujus dubii decisionem præmitto, eum, qui certus est non esse baptizatum, debere in iterum susceptione ordinum, servare tempora, & interstitia, & solemnitates omnes de jure requisitas: quia non est unde lex Ecclesiastica limitari possit.

2. Præmitto secundo: ex iusta causa, licitum esse Episcopo in interstitiis dispensare, in o & minores ordines simul cum Subdiaconatu, eadem die conferre: aut quia ex consuetudine juri communi est derogatum, ut tradunt Navarro, Miranda, Sayrus, Rodríguez, Philiberto, Machado, Villalobos, Sanchez, Dicastillo, & alii, quos refert, & sequitur Leander à Sacram. tom. 2. tract. 6. de Ordine, diff. 1. q. 13. aut quia nullo id jure prohibuitur est, ut putant Gutierrez, Molfesius, Viquez, Diana, Hurtado, & Palau eundem. Quibus consentit Dicastillo de Ordine diff. 23. in fine.

3. Præmitto tertio: ex cap. de eo, de tempor. ordinat. Ad Subdiaconatum, nisi in quatuor temporibus, aut in Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passionibus, nulli Episcoporum, præterquam Romano Pontifici licere aliquos ordinare.*

4. Præmitto quarto: ex cap. litteras, & ex cap. dilectus eodem tit. Episcopis prohibitum esse, uno, & eodem die ad tres sacros ordines promoveri. Quod iterum statutum est in Tridentino Sess. 23. cap. 13. ubi: *Duo sacri ordines non eodem die, etiam Regularibus conferantur: privilegiis quibusvis, ac indulgentiis concessis, non obstantibus quibuscunque.* Unde audiendus non est M. Joannes de la Cruz in Epitom. lib. 2. c. 8. dub. 1. Neque Brunus Cassiung. cum aliis asserens Regulares, post Tridentinum, ex privilegio posse omnes ordines majores uno, & eodem die recipere. Vide illum de Privileg. Regular. fol. 283. His positis.

5. Affirmativè respondeo quæsito. Itaque assero; quotiescumque ordines sub conditione iterantur, sive ob dubium baptismum, sive ob aliam rationem, ut quia vinum in preparatione calicis defecit, vel quia prudenter de requisito ad valorem ordinum dubitatur, posse Episcopum omnes ordines, etiam majores, eodem die, omisis etiam solemnitatibus conferre. Moveor, quia textus omnes juris Canonici, qui tempora, & ordinum solemnitates præscribunt, aperte loquuntur de absoluta ordinum collatione, non de conditionata, quæ jam absolutam, omnibus solemnitatibus servatis, confectam supponit: ergo cum lex ista à jure promanans odiosa sit, non debet ad casum in ea non comprehensum extendi, sed potius restringi, & intra limites juris divini, & naturalis contineri, ut de aliis legibus pœnalibus tradunt communiter Doctores.

6. Confirmatur: quia de jure divino non est prohibitum Episcopis ordinem sacrum extra tempora

conferre, nec omnes ordines eodem die: ergo illis prohibens coarctat potestatem Episcoporum, ergo strictè interpretanda, ergo cum tantum prædicere, & intelligi possit de absoluta ordinum collatione, non de conditionata, de illa tantum intelligendum est: nisi aliunde oppositum constiterit, quod in presenti non contingit. Ergo quando ordines non absolute conferuntur, sed sub conditione, non obligatur Episcopus observare tempora, nec solemnitates à jure præscriptas.

7. Urgetur ex doctrina communi Theologorum, apud Sanch. lib. 8. de matrim. diff. 9. n. 1. ubi cum aliis tradit, dispensationis reservationem esse restringendam: quod sæcula reservatio, possit Episcopus in sua Diocesi, quidquid Pontifex tota Ecclesia (ut cum pluribus pte. de sent. dist. 1. diff. 61. n. 3. & tenent alii apud Anadum in o. de matrim. prop. 2.) Unde restringendam rectè concludit: *Quod juri, inquit, Episcopus deroget, & ideo odiosa sit, quod fatentur omnes Theologi.* Ex quo principio plures, quos citatos habet Diana 3. p. tract. 5. Miscel. ref. 25. & 6. p. tract. 8. n. 1. deducunt, reservatorem voti castitatis, solum intelligi de voto absoluto, non de conditionato, & inferunt, reservationem peccati non de peccato dubio, sed de certo intelligendam. Ergo cum Episcopi jure divino possint omnes sacros ordines, uno & eodem die, extra tempora, & non servatis solemnitatibus conferre, reservatio de illis, ut supra ostendimus, cum juri Episcoporum deroget, & ideo odiosa sit, restringenda est, arque adeo solum intelligenda de absoluta ordinum collatione, non de conditionata: illa enim solummodo comprehendit, & restrictio subsistit, & regula de odii restringenda, appropinquat observatur, quæ non minus in re præcavet, quam in aliis suum locum habere debet.

8. Urgetur secundo: quia ex eo, quod irregularitas reprobantibus odiosa, & ideo restringenda; inferunt Doctores non comprehendere reprobantes sub conditione, sed absolute: ergo ex eo, quod lex reservans Pontifici ordinum collationem, non servatis temporibus, & solemnitatibus, odiosa sit, & restringenda, non comprehendit Episcopos ordinantes sub conditione, sed absolute. Ergo poterunt Episcopi eodem die omnes ordines sacros, etiam non servatis solemnitatibus, edoc conferre. Non levia hæc.

9. Ideo hæc sententiam viri nonnulli de his tuerentur. Quintanaduennas tom. 3. singular. tract. 1. §. 1. n. 6. *Propter hæc, inquit, ego etiam temerem licere eodem die omnes ordines, tam majores, quam majores similiter, licet consulerem, non cum Subdiaconatu uno die, & duobus quibus Diaconatum, & Sacerdotium suscipere; nullum quod scandalum, aut incommodum notabile hoc oriretur, quod quidem vitandum erit: & minus esset in publicitate, & interstitiis, videlicet, quem Sacerdotem cognoverunt omnes, non sacris initiari, (& infra) Deinde solemnitates omnes, quibus Sacerdotium, Diaconatum, & Subdiaconatum, vel alii minores ordines conferuntur, non necessariò adhibendas, in hac conditionali ordinum susceptione, existimo, sed solum præcisè iterum, quæ requiruntur ad valorem Sacramenti. * Propter quæ requiruntur ad valorem Sacramenti. * Propter quæ sententia militat P. Granado contr. 9. de ord. ne, tract. 2. diff. 3. & alii recentiores, qui censent in suppleendo defectu substantiali in susceptione ordinum commissio, solum iteranda esse, quæ omissa fuerunt.

vel de quibus dubitatur, v. gr. contactus instrumentorum, vel manuum impositio simul cum prolatione formæ. Probabile est, (inquit Granado) quod viri docti à me consulti opinantur, quovis tempore relicere defectus prædictos supplere. Etenim propriè loquendo, supplere ejusmodi defectus, non est ordinem celebrare, sed potius perficere id, quod tempore ordinationis, imperfectè præstitum est; nec enim repetenda sunt caeremoniæ omnes, aut Sacramentum ministrandum, sicut in diebus ordinum ministrari solet, sed præcisè iteranda saltem sub conditione ea caeremonia, quæ omissa est, v. gr. iterandum contactus instrumentorum, aut quid simile, quod potius est appendix ordinum præcedentium. Hæc Granado, cuius sententiam referens Diana p. 5. tract. 14. res. 63. inquit: * Improbabilem esse non audeo dicere. *

10. Quibus favent Doctores asserentes in revalidatione matrimoni, quod in facie Ecclesiæ celebratum fuit, sufficere supplere defectum substantialem, & non esse necessarium solemnitates alias adhibere; v. gr. iterum celebrare coram Parocho, & testibus. Quod in matrimonio revalidatione magis videtur urgere, eo quod Parochi, & testium præsentia, ad ejus valorem requirantur, secus tempora, Missæ celebratio, vestes Pontificales, & similes solemnitates ad validam collationem ordinis faci. Nequit ergo negari valdè probabile esse, tam tempora, quam solemnitates omitti posse, in iterata sub conditione celebratione ordinum, supplendo præcisè defectus substantiales, repetendo nimirum sub conditione materiam, & formam Sacramenti: reliqua verò cum ex solo præcepto Ecclesiastico adhibenda sint, & hoc tantum inveniamus expressum pro absoluta ordinum collatione, non levi fundamento, collationem conditionatam non comprehendere, asserere possumus.

11. Rogabis. An, qui ex dubio probabili sui baptismi, iterum sub conditione baptizatur, & ordinatur, teneatur omnes ordines sacros iterum sub conditione recipere? P. Granado tract. de Sacram. disp. 4. nam. 7. & controvers. 5. de Ordine, disp. 6. Leander tom. 1. tract. 1. q. 14. & Diana p. 5. tract. 13. res. 55. existimant non esse necessarium alium ordinem iterari, præter Sacerdotium & Episcopatum, quia à reliquis non iterandis opinio probabilis de eorum valore sufficienter exultat, & ordo Sacerdotalis, aliis non præmissis, validè suscipitur, ut docent Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 11. sect. 3. §. Tertio de charactere ordinis. Coninch de Sacram. Ordinis, disp. 20. dub. 10. concl. 4. P. Sà, verb. Ordo, num. 25. Vercelli in question. moral. tract. 2. q. 27. num. 11. Diana p. 5. tract. 13. res. 55. M. Sotus, Sanchez, & alii cum D. Thoma quest. 33. art. 5. asserentes, Sacerdotem ritè ordinatum, licet alios ordines non suscepit, posse omnium ordinum functiones validè exercere, quia in eo virtualiter continentur, ut refert Quintanaduennas sup. num. 6.

12. Cæterum licet probabilis existimem cum citatis, Sacerdotium validè suscipi, aliis ordinibus non susceptis, & solum ex præcepto Ecclesiastico, & divino alios Ordines præmittendos. Nihilominus cum hoc definitum non sit, & forsitan character alicuius ordinum, ex ordinatione divina, ut praviam dispositionem necessariam requiritur ad characterem Sacerdotii, sicut character baptismi ad characterem Ordinis (quod si ita evenire contingat, necessariò consequitur nullitas ordinis Sacerdotalis, non præmissis aliis ordinibus, quantumvis opinio probabi-

lior pro valore militet) idè dicendum censeo, omnes sub conditione iterari debere, quoties ex probabili dubio baptismi iterari contigerit, ut bene Quintanaduennas ubi supra. Vide tract. de opinione probabilis, q. 10. §. 2. num. 16. ubi ordinem Sacerdotalem, vel Episcopalem, cuius valor sub opinione sit, iterandum ex præcepto docuimus, ad evitanda inconvenientia ex defectu valoris: quem major etiam probabilitas opinionis, si res ipsa vera non sit, supplere non potest. Unde pro nobis contra Granado, & Dianam ubi supra militat P. Bardi, Vercelli, Suarez, Valentia, Leander, & alii, imò & ipsi Granado, & Diana in inconsequenter loquantur, dissentire non possunt. Ut constat ex dictis loco citato pro iteratione ordinis Sacerdotalis, cuius valor probabilitatis terminos non transgrediatur.

QVÆSTIO XI.

An absolute loquendo, omittere Sacramentum confirmationis sit peccatum veniale? quid si ordines suscipiendæ

1. Affirmare plures, & graves Doctores: negat verò P. Mascarennas cum aliis tract. 3. de confirm. disp. 4. c. 3. n. 72. fol. 152. Quibus adhæreo. Quia eorum sententia innititur communi Doctorem asserentium, nullum dari præceptum recipiendi hoc Sacramentum. Videatur M. Joannes Martinez de Prado, tom. 1. de Sacram. p. q. 72. dub. 9. num. 15. ubi sic ait: * Asserendum est, nullum dari præceptum, neque divinum, neque humanum recipiendi confirmationem. Ita sumitur ex D. Thom. quest. 65. ad 3. & q. 72. art. 1. ad 3. & c. Idem docet, & quinque rationibus probat Sotus in 4. dist. 7. quest. unica. art. 8. & Serra dicitur esse communem, Suarez novem auctores referens: alios decem refert, & sequitur Averla, triginta auctores refert Leander tract. 3. disp. 1. q. 5. & 6. & alii communiter. * Sic Prado.

2. Hoc posito, sic discursum efformo. Per se loquendo nullum datur præceptum sumendi confirmationis Sacramentum, sed ubi nullum datur præceptum, nullum est peccatum, ergo nec veniale. Discursus est legitimus, Idè hanc sententiam tradiderunt viri doctissimi M. Petrus de Ledesma in Sum. 1. p. cap. 8. conc. 3. ubi sic: * No es pecado venial no recibir este Sacramento, aun quando ay oportunidad. Esta conclusion es contra Cayetano, y contra el P. M. Soto, en los lugares citados, la razon es, porque no ay precepto divino, ni Ecclesiastico de recibir este Sacramento, como queda ya determinado, luego no será pecado venial no le recibir. Porque no se haze contra ley ninguna. Esto se confirma, porque de ser útil, y provechoso el recibir este Sacramento, no se colige ser pecado venial el no le recibir. Porque el comulgar en cierto día, quando no ay precepto, es cosa útil, y provechosa, y con todo esto no es pecado venial el no comulgar. * Sic ille contra M. Sotum, quem de inconsequencia arguere potuisset. Nam ex argumento, quod urget, contra nonnullos contententes, omissionem confirmationis esse peccatum mortale negligentia, placet etiam deducitur, non esse veniale. Verba Soti in 4. dist. 7. quest. unica, art. 8. §. Et idè, hæc sunt. * At verò isti principium